

FRANCISCI PATRICII
PANAUGIAE
LIBER SECUNDUS
DE DIAPHANO

Trium generum corpora, in universo esse diximus, Lucida, Diaphana, et Opaca. Lucida ea esse, quæ lucem habent ingenitam et perpetuo sibi hærentem. Lucida enim omnia a luce sunt, et nominantur. Sed addidere optici, lucida corpora ea esse, quæ sunt sui luminis diffusiva. Quod sicuti optime dixerunt, ita lucem eis esse innatam videntur esse oblii. Integra ergo lucidorum corporum fuerit definitio. Lucida corpora esse quæ innatam habent lucem, ex qua lumen diffunditur. At quæ in loca, et quo versum, lumen hoc diffunditur?

In corpora generis secundi, et generis etiam tertii, diaphana, et opaca, et in lucida quoque generis primi. Sed in omnia proprio quodam modo; et conditione non eadem in omnia.

Ad opaca enim et lucida, non pervenit lucidorum lumen, nisi prius transeat per diaphana, et postquam eo pervenit, diversos in utroque edit effectus. De quibus locis suis. Nunc de Diaphanis. Optici iidem, Corpus diaphanum esse, per quod lumini est transitus, diffinire. Opacum vero, per quod lumini non est transitus. Recte quidem hæc. Sed nos planius in hunc modum Lucida et opaca corpora inter se contraria esse asserimus. Diaphana vero inter hæc extrema esse media. Hæc diversitas in eo consistit, ut sicuti lucida corpora illa, Sol, astra, ignis, lucem sibi inexistentem habent, vel lux ipsa corporea sunt, ita opaca corpora, sui natura sunt tenebricosa, et sicut lucida a luce sua, lumen diffundunt, ita opaca ab obscuritate innata, tenebras extra se effundunt. Diffundunt ergo utraque extra se, veluti germina quædam sua, et suarum naturarum, quasi testimonia, lucida lumen, opaca tenebras. Diffusio autem utriusque in una sit diaphana. Quæ nec lucida sunt, nec opaca. Inter hæc vero extrema veluti medium posita diaphana, utriusque extremi germina in se recipiunt per vices, æque tenebras ac lumina. Tria specie fuerunt lucida, sol, stellæ, ignis, unum participatione: Ignea. Tria specie sunt, et opaca, Luna, nubes, terra; et quartum participatione terrea. Totidem sunt, et diaphana, æther, aer, aqua. Et quæ hanc participant, aquæa. De lucidis, et luce iam est actum. De opacis postea. Nunc de diaphanis, brevibus agamus.

Diaphana Græco nomine, dicta sunt hæc corpora, quoniam διαφαίνει transparent, ita ut per ea lux cernatur, et lumen, et colores; et visus etiam per ea transeat. Ideoque Latinis, et transparentia, et transpicua, et perspicua, a meliore officio sunt appellata, lucis inquam et luminis vehendi, atque oculis representandi. Nam non minus, quam lucem et lumen, tenebras, atque obscuritatem, et vehunt et representant. Sed de his suo loco, nunc meliora. Dubia res apud veteres, nec minus posteris seculis, an diaphana corpora per se essent luminosa, vel per se essent obscura; et tertio dubio, an per se sub visum caderent: et per se essent visilia æther, aer, aqua. Quæstiones sane, non faciles solutu. Peripati magister docuit lumen esse energiam, et entelechiam diaphani. Utraque haec voces, solent illi essentialiem formam significare. Si id ita esset, lumen esset diaphani forma essentialis. At singulis diebus, et singulis sæpe horis, aer et aqua, umbris, tenebrisque obruuntur, lumenque amittunt prorsus. Quod esse talibus nullis formis accidit, ut et adveniant, et recedant, et etiam revertantur. Si vero energia hæc ad visum referatur, ut sine eo, visilia non cernantur, et cum eo cernantur rursum, verum forte id fuerit, quo ad colores, qui lumine in diaphano existente, onspiciuntur, atque ita per lumen diaphanum, coloribus et visui fieret diaphanum, non autem per se in sui natura consideratum, lumen est diaphani energia vel actus essentialis. Non ergo nos docuit, aut quid lumen esset, aut quid sit diaphanum. Sin vero e contra, diaphana per se essent, et essentialiter obscura, lumen recipere nequirent; perpetuo namque, tenebris considererentur. Diaphana ergo, non sunt sui natura vel luminosa, vel tenebricosa. Verum cum et lumen, et tenebras, æque in se suscipiant, media quadam prædicta esse natura est necesse. Utrum autem